



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1845

CXXV. Papst Benedict XII. bestellt eine Commission zur Entscheidung des Streites über die Kapelle zu Hildagesburg, am 12. Mai 1337.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54414)

nice, — sententiam ratam habemus ipsique consentimus, nolentes statutis et preceptis iuris contradicere, sed potius affectantes nos ipsorum sententiis in omnibus conformare, Presentium nostrarum testimonio litterarum, quibus nostrum Sigillum quo vtimur est appensum. Datum et actum in castro wolmerstede, anno domini M^o CCC^o XXX septimo, sexta die mensis Maii.

CXXV. Papsi Benedict XII. bestellt eine Commission zur Entscheidung des Streites über die Kapelle zu Hildagesburg, am 12. Mai 1337.

Benedictus episcopus, seruus seruorum Dei, Dilectis filiis sancte Marie ad Gradus Maguntin. et sancti Johannis decanis ac Scolastico sancti Stephani Maguntin. ecclesiarum. — Sua nobis dilecti filii fridericus decanus et Capitulum ecclesie Stendaliensis halberstadenfis diocesis petitione monstrarunt, quod licet Capella in hildungesborch Magdeb. diocesis de iuribus et pertinentiis decanatus eiusdem ecclesie etiam de antiqua et approbata et hactenus pacifice obseruata consuetudine fuerit et existat et tam ipse decanus quam predecessores sui decani eiusdem ecclesie, qui fuerunt pro tempore, dictam Capellam tanquam de iuribus et pertinentiis dicti decanatus tenuerint et possederint a tempore cuius contrarii memoria non existit, quia tamen venerabilis frater noster Archiepiscopus Magdeburg. loci Metropolitanus, minus ueraciter asserens, ad se collationem dicte Capelle spectare, Capellam ipsam etiam non uacantem dictisque Decano et Capitulo non uocatis sed absentibus non per contumaciam, Johanni de Suntra Canonico Magdeburgensi de facto, cum de iure non posset, dicitur contulisse, pro parte dictorum decani et Capituli, quamprimum huiusmodi collatio ad eorum notitiam peruenerit, sententium ex ea indebite se grauari, fuit ad sedem apostolicam appellatum ac idem Archiepiscopus huiusmodi appellatione contempta prefatum Johannem mandauit et fecit in eiusdem Capelle corporalem possessionem induci, propter quod pro parte dictorum decani et Capituli fuit iterato ad sedem appellatum eandem, dictusque Archiepiscopus spretis appellationibus antedictis fructus redditus et prouentus ipsius Capelle mandauit et fecit pro suo libito arrestari: propter quod pro parte dictorum decani et capituli ad dictam sedem denuo extitit appellatum. Quocirca discretioni uestre de utriusque partis procuratorum assensu per apostolica scripta mandamus, quatinus Maguntiam uocatis, qui fuerint euocandi et auditis hincinde propositis, quod canonicum fuerit appellatione remota decernatis, facientes quod decreueritis per censuram ecclesiasticam firmiter obseruari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia odio uel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellatis ueritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo uestrum ea nichilominus exequantur. Datum Auinion, III. Id. Maii Pontificatus nostri anno Tertio.

CXXVI. Markgraf Ludwigs Bestätigung und Schutzbrief für den Dom zu Stendal, vom 29. Juli 1337.

Lodowicus, dei gracia brandenburgensis et Lufacie marchio. — Veniens ad nos honestus et discretus vir, dominus marquardus, capituli sue collegii sancti nycolai ciuitatis Steindalensis Canonicus, capellanus noster dilectus, nobis eorundem nomine, quod ipsis ipsorum jura pri-